

Π λ
221





II i
221

כנה

Disertatio Philologico-Historica

De

Veterum Ebraeorum

RATIONE COENANDI
& eò spectantibus;

Quam

Indulgente Inclytâ Facult. Philos. in Alma Li-
psiensî, placido examini submittit

M. MARTINUS GEIER, Lips.

Prof. Lingvæ S. Publ. designatus;

RESPONDENTE

HEINRICO MEYERO Lips. Art & Phil.
Baccal.

Ad diem 6. Julij, horis locq; solitis.

Typis bared. FRIDERICI LANCKISCH.

Anno M. DC. XXXIX.



PROTO-SYNEDRII ELECTORALIS
SAXONICI
PRÆSIDI

Generoso ac Nobilissimo,

Dn. FRIDERICO Metzsch /

in Reichenbach & Friesen Hæreditario, Sereniss. Ele-
ctori Sax. à Consiliis secretioribus primario:

Ut &

ASSESSORIBUS & PRÆSULIBUS SPLEN-
DIDISSIMIS

Per quàm Reverendâ Nobilitate ac Dignitate, Magnificentia, Prudentiâ ac Eru-
ditionis multiplicis Splendore, Consiliorumq; Ecclesiasticorum Dexteritate
longè Eminentissimis, Amplissimis,

Dn. MATTHIÆ HOE ab HOENEGK in Lungwitz / Gönnsdorff
& Rachtwitz Hæreditario, Theologo de Ecclesiâ Christi ut meritissimo ita
Celeberrimo, Sacri Palatii Lateran. Comiti Splendidiss. Sereniss. Electori
Sax. à Concionibus Aulicis, Confessionibus Sacris & Consiliis Ecclesiasti-
cis primariis.

**Dn. ÆGIDIO STRAUCHIO, SS. Theol. Doct. Eximio, Eccle-
siæ Dresdanæ & circumjacentis Dioceseos Superattendenti Præclariss.**

Dno. FRIDERICO TUNZELIO, Jcto præclarissimo, Dn.
Cognato suo animitus devenerando:

**Dn. JOHANNI LUDOVICO KÖPPELIO J.U.D. ac practi-
co dexterrimo:**

NEC-NON

**Dn. CORNELIO CRULLIO, J.U. Licent. Clarissimo, ejus.
dem Proto-Synedrii Elect. Secretario dignissimo ac fideliss.**

Dnis. EVERGETIS atq; PATRONIS SUIS, UTI

Summis, ita summâ quoq; animi submissione ac observantiâ
semper suspiciendis

Hoc qualecunq; Exercitium Academicum, ceu mentis
multoties obstrictæ, atq; gratitudinis percupidæ symbo-
lum, ut & patrocinii ac faventiæ ulterioris illicium re-
verenter dicat

M. Martinus Geier, Lingva S. Prof. P. designatus.



PRÆLOQVIUM.

Um non parùm ad historię intellectum faciat prævia rituum morumq; cuiusq; gentis cognitio; non, reor, vertetur nobis vitio, si, ob meliorem historię sacrę cognitionem, tales quasdam Ebræorum circa capiendum cibum consuetudines, rudi Minervâ delineatas, exponamus eruditorum examini; ut sicubi fortè in hoc minùs navigatò æqvore aberremus, in rectam deducamur viam; pro quò sanè benevolæ emendationis officio nemo nos deprehendet ingratos. Sicut verò Agellius l. 13. c. 11. ad convivium *quatuor* requirit præcipuè; *si belli homunculi collecti sint, si lectus locus, si tempus lectum, si apparatus non neglectus*: ita & nos circa quatuor jam erimus occupati; acturi (1.) de PERSONIS *instruentibus*, herò sc. seu dominò convivii; *parantibus*, coqvis; *ministrantibus*, servis, & *utentibus*, convivis vel domesticis. (2.) De REBUS, h. e. apparatu cibi ac potus. (3.) de Loco, vel *communiori*, ædibus, tricliniò, &c: vel *propriò*, (ut sic dicam,) h. e. mensâ, lectis, &c. (4.) de TEMPORE, matutino, meridiano, &c. *DIRIGE nos, ô Sancte Spiritus, in Veritate; ad nominis Divini gloriam, per Christum. Amen.*

I. PERSONÆ.

I. Uti Rex Paterque Cœnæ dicebatur olim herus convivium Herus.
struens; ita non immeritò eidem quoq; principem in hac nostra disertatiunculâ tribuemus locum. Hujus verò *ante accubitus* partes
erant,

Osculum.

erant, dignè convivas invitatos, excipere, præbitò nimirum osculò, al-
latà ad lavandū pedes manusq; aquâ, infusis capiti unguentis odori-
feris, &c. *Osculi* sanè frequens olim apud Orientales usus, uti jam ho-
diè quoq; apud occidentales Belgas, Anglos, Gallos &c. & Persæ qui-
dem salutis vice, quam ultrò citroq; dicere non solebant, mutuò fe-
rebant oscula; & si pares erant, ore se osculabantur; sin alter paulò in-
ferior, ei *genas* deosculandas præbebat is, qui *dignitate* superior; di-
cente *Brissoniò in Persic. p. 241.* Tali igitur blando osculò se non exce-
ptum esse Christus exprobrat hospiti Simoni, *Luc. 7, 44.* quod æqvè in-
civile tum fuit, ac si jam, invitato hospiti non porrigas manum. Plura
si cupis de osculis hujusmodi, adi *Cl. Dilherrum l. 2. elect. c. 4. & Dial.*
p. 56. Drus. in pentatev. p. 170. Stück ant. conv. l. 2 c. 32. Gerb. hist. pers.
p. m. 139. Stegm. icon piet. l. 1. p. 324. seq. & Herrenschildii osculolo-
giam.

Lotio
pedum
manuūq;

II. Porrò Hospitis etiam munus erat, curare de apportandâ con-
vivis aquâ, præsertim peregrè venientibus, *quibus pedes fessi ac dolen-*
tes ex labore itinertis, & lutosi seu pulverisati, eò quod sine calce amen-
tis incedebant; uti ait *Lyra* ad *Luc 7, 44.* ubi exponit, cur Christus a-
quam ab hospite sibi non datam esse culpet: sc. quia istud requirebat
mos publicus, non aliter ac hodiè convivis datur aqua manibus ab-
luendis. Confer *Gen. 18, 4. 19, 2. Judic. 19, 21.* Et rationem hujus eruditè,
ut solet, reddit *Scal. l. 6. de emend. temp. quòd lotio non solum Judæis,*
sed & Gentibus ipsis usitata; quia enim in lectis discumbentes epulaban-
tur, propterea prius depositis soleis lavabant, ne sc. pulverosis pedibus
strata inquinarent. Sic lotio manuum valdè quoq; necessaria, ita, ut
tenelli & sanctuli Pharisei nimis offenderentur ejus intermissione:
Matth. 15, 2. 20. Luc. 11, 38. Eandem verò distinguebant in *מִיָּוֵן*
מִיָּוֵן & *מִיָּוֵן* aquas priores, (sc. ante cibum,) & postero-
res (post cibum:) prioribus exempti erant versantes in castris, uti o-
stendit versatissimus in hisce rebus *Gaulmyn* in notis ad *l. de vita &*
morte Moysi. pag. 320. (edit Paris. an. 1619.) & ante hunc *Schick.* in *Jure*
reg. p. 152. Standum verò erat, cum sic lavarent manus, nec inniten-
dum parieti aliivè sustentaculo. Assumenda etiam erat aqua, non fal-
sa nec corrupta, quam canis dedignatur bibere. Fundenda erat aqua
tribus vicibus super manus; digitis in primâ fusione lavatis sursum,
de-

demissis verò in posteriori; &c. manus sinistra, tanquam famula, subservire debebat dextræ; &c. quæ annotata vide apud *Münsterum* ad *Deut. 8*. In lotione ante cibum opus erat, manus elevare sursum; (צריך שיגביה ירו למעלה) post cœnam verò צריך לומר לומר שישפיל *oportebat eas deprimi*: Uti notat *Gaulm. l. d.* Nemo hîc honoratur prærogativâ lotionis, qui nostrorum aliàs contentiosus solet esse honor, &c. quæ omnia copiosius reperies apud *Schick. l. de jure reg p. 150 seq.* Et si hodiernorum Judæorum hac in re desideras ceremonias plures, uti deponant annulos, patrifamiliâs ultimum in lotione relinqvant locum, manus nec non os apud mensam super malluviô abluant peractâ cœnâ, priusquam gratias agant, & quæ hujus sunt generis, adire potes *Synag. Jud. Buxt. cap. 6. & 7. p. 192. 198 215.* Eandem apud Persas quoque receptam esse puritatem, docet *Briß. in Pers. p. 228.* Sic & Græci sudorem abluabant aqvâ, oleôq; uncti mox cœnabant; dicente *Sardô de morib. gent. p. 60. cap. 21.* Confer *Stuckii ant conv l. 2. c. 33.*

Unctio.

III. Post aqvam affusum quoque convivarum capitibus fuisse oleum, aut unguenta potius odorata, colligitur apertè satis ex culpata Simonis negligentia minus civili, *Luc 7, 44.* Et morem istum, quo convivator præbebat oleum, quod fundebatur super caput convivarum, tangere Davidem, *Pf 23, 5.* dicit *Drusius præter. ad Luc. 7, 44.* Sic etiam *Möllerus* in illa verba Psalmi: (pingve facis oleo caput meum,) ait: *quoties Judæi excipiebant convivas honoratiores, quos splendide tractare volebant, eos perfundebant vel balsamò, vel aliis unguentis fragrantibus, ut ita exbilararentur: nam cerebrum & spiritus suavi odore mirabiliter reficiuntur & excitantur.* Hinc lucem capiet istud Christi *Matth. 6, 17. tu verò cum jejunas, unge (tanquam lætitiæ convivæ præter te ferens) caput tuum.* Atque ad eundem morem alludebat etiam mulier, Bethaniæ inungens Christum, *Matth 26, 6 seq.* Hinc etiã capere potes, quid sibi velit illud *Ecclesiasticis, c. 9, 7. 8. comede in gaudio panem tuum &c. & oleum super caput tuum ne deficiat:* scil. ut in hodiernis conviviiis aqvâ uti solemus rosariâ, ob suavem fragrantiam; sic illi olim balsamis, &c. Huc illud *Amos 6, 6. bibunt in phialis vinum, & electi unguentis unguunt se & Sap. 2, 7. vinò pretiosò & unguentis (καὶ μύρον) repleamus nos, &c.* His fortasse lucem faciet illud *Posidonii phi-*

(ex Stuck. l. 3. ant. c. 15.)

lof. l. 28 histor. qui sic ait: In Syria in conviviiis regis, ubi corona datae fuerunt convivis, quidam Babyloniorum unguentorum utres parvos habentes, ingrediuntur, & circumeuntes, coronas ex his accumbentium aspergunt, & irrorant unguentis, nihilq; aliud externum rigant. De pedibus Christo perunctis *Luc. 7, 38.* & *Job. 12, 3.* contulere poteris *Gerh. p. 1. contin. har. c. 143. Casau. ex. 14. cap. 12.* Et in genere de unguentis, etiam apud Persas receptis, *Brisson. Pers. l. 2. p. 227.* item *Cael. Rhodig. l. 27. ant. c. 24 & 26. Plin. l. 13. hist. cap. 1. & 3. Demster. ad Ros. l. 5. antiq. p. 867. seq. stuck ant. conv. l. 2. c. 15. & l. 3. c. 15.* (qui postremus rationem quoq; dat ex Athenæo hanc, quod sic capite madefactio, minus ascendat fuligines, uti febricitantium humectari solent tempora, ne sc. fercula in caput aridum, vacuum siccumq; impetu suo ferantur, &c.)

Ordinatio
discumbē-
tium.

IV. Convivæ igitur his aliisve modis decenter excepti, ordinandi etiã porro ad accubitũ Idq; faciebat quandoq; ipse convivator, uti Joseph locum dabat cuiq; fratrum juxta ætatis annos vel majores vel minores; *Gen 43, 33.* & sicut Samuel primam dat sedem convivæ suo Sauli *1. Sam. 9, 22.* quandoq; v. ipsi convivæ eligebant *περίοικλίσιας;* *Luc. 14, 7* anteqvã convivator ita disponderet; *Matt. 22, 11.* & *Luc. 14, 9.*

Preces.

V. Porro herorum quoq; fuit, ut, ubi convivæ essent aliquantò splendidiores, ipsi vel ministrantes adstarent; uti fecit Abraham, *Gen. 18, 8.* vel unã cum iisdem discumberent, piisq; precibus præirent: sicuti populus non solebat prius comedere, quã Samuel cibis benedixisset, *1. Sam. 9, 13.* quem morem Judæi referunt inter tria præclara Mosis inventa, trahentes huc *Deut 8, 10* uti observat *Casaub. exer. 16. cap. 63.* (hïc etiam reperies, paganis id precum mensalium institutum non fuisse ignotum sicuti Naucratis, postquam jam discubissent, surgebant rursus in genua, sacrorũ ministrò preces patrias recitante: &c. id generis plura de Calecutanis, Lituaniis &c. dat *Stuckius l. 2. ant. conv. c. 36.* & de Turcis dicit *Georgieviz (p. m. 66.)* eosdem anteqvam cibum sumant, orationem præmittere, &c. quorsum etiam primitiæ ciborum Diis libatæ, apud *Sardum, de mor. gent. l. 1. c. 21.* & *Lips. l. 3. ant. lect. p. 153.* Sic in historiã Evangelicã hinc inde legimus, studiosè hoc observatum esse ab ipso Benedictionis fonte Christo, qui panibus in manus sumtis oculisq; in cœlum sublatis, mensæ benedixit devotè, ut

Marc.

Marc. 8. 6. Matth. 14. 19. &c. quem Magistrum postea imitatus Paulus *Act. 27. 35. &c.* ceteraq; Christianorum cohors: non enim discumbitur, (ait *Tertull. apol. c. 39.*) priusquam oratio ad Deum praestetur. Videre hinc poteris *Uben. Exa. C. T. par. 4. f. m. 108.* Apud hodiernos Judæos, quomodo *Baal Habbajith* seu herus assidensve Rabbi benedicit, manibus pani impositis, vinò elevato, reliquis adjicientibus *Amen*, imò, quomodo ferè nihil sumatur in manus, ubi non sit comes hæc precatiuncula: *Benedictus esto Deus, Domine noster, Domine mundi universi, qui cibos creasti multiplices, vel, qui fructus bosce arborum produxisti, &c.* ea copiosè docet *Bux. syn. Jud. c. 7. & 10. Scal. l. 6. de emen. tem. p. 273. Dilb. l. 1. elect. c. 12. Stuck. l. 2. c. 36.*

VI. Cibis itaq; per verbum precesq; ritè consecratis, (*1. Tim. 4. 5.*) consequens eosdem quoq; *distribui*. Mos autem ut antiquus ita & pluribus gentibus communis fuit, ciborum poculentorumq; certas portiones singulis convivis apponi: cujus moris meminit etià *Plur. l. 2. symp.* quod in conviviò Demophontidarū, Orestis exhibitò, unicuique calix peculiaris & scutarium vinò plenum nec non propria mensa apposita, ipseq; Orestes jussus sit pro se bibere, nec alios observare. Sic itaq; in conviviò Josephi apponunt ipsi seorsim, & fratribus seorsim; & Joseph accepit *תורתא* partes sive fercula à conspectu suo ad illos, & multiplicavit partem Benjamin supra partes omnium quinque partibus: *Gen. 43. 32. 34.* ubi *Lutherus* (in comm. aureò) hunc cōjicit fuisse morem, ut cibus primùm ad principem deferretur, cujus arbitrio & voluntate distribueretur reliquis; laudatq; morem hunc Orientalium, (ut & Romanorum & Græcorum) quò singulis cibus potusq; alim dabatur demensus. Cujus moris meminit etiam *Drusius ad Cæbel. 5. 17. & ad Jobi 20. 29. 18. &c. 11. 2.* Sic Samuel mandat coquo, ut *המנה* portionem illam sive armum apponeret unico Sauli convivæ, *1. Sam. 9. 23.* Ita Elkanah in conviviò sacrò, Peninnæ filiisq; ejus dat partes, Hannæ vero dat partem unam *1. Sam. 1. 4. 5.* (anne huc alludit Christus, *Luc. 10. 42.* Mariam elegisse partem optimam dicens; aut David, Deum hinc inde appellans suam portionem &c.) Sic Christus ipse & panes & pisces *ἐπέγεισε Marc. 6. 41 &c.* Huc fortè referres *תורתא* quod (juxta *Schindl.*) est portio carnis, quæ viro sufficiat ad refectiōem, & singulis convivis dabatur: *2. Sam. 6. 19. 1. Chron. 16. 3.* (in publi-

Ciborum
distributio

publico isto Davidis convivio, populo datô.) eandemq; vocem *Esch-*
par Rabini dixerunt esse compositam ex tribus: *רפח* unum *השש*
 è sex *רפח* de juvenco: h. e. (juxta *Kimchium*, *R. Levi & Rabboni Je-*
schajab, qui ultimus in *Bibl Buxt.* ad marginem adjectus est *2. Sam. 6,*
19.) sex partes fecerunt ex juvenco, & cuiq; dederunt partem unam.
 Huc quoq; *Manorb*, seu fercula ista, (*bescheiden essen*) è convivii
 missa egenis, *Nebem. 8, 19. & Esth. 9, 22.* Patet hinc, reor, munus hoc
 chironomantæ, (uti scissorem aut carptorem appellat *Juven. sat. 5.*
v. 121. qui ad symphoniam, aves & reliqua obsonia gladiò scissorio divi-
 debat, sicut ibid. annotat *Grangæus*,) obiisse partim cocos, partim
 ipsos convivii Dominos. Hodiè verò quomodo paterfamilias panem
 ac reliqua dividat apud Judæos, cognosces ex *Buxt. syn. c. 7.* Et quo-
 modo Romani olim fercula dividerint in certas partes, vel per servos,
 vel Tapullam aut convivii magistrum; quas partes, quandoq; sorte
 divisas, vel famulo donare, vel domum mittere poterant, &c. istud
 docet *Demister.* ad *Ros. ant. p. 822* seq.

VII. Quomodo porrò Convivii Dominus, cujus oculus non es-
 set invidus, *Prov. 23, 6* incitarit hospites ad hilaritatem, ut epulis in-
 dulgentes, præsens convivii tempus impensè cobonestando darent hila-
 ritati, (uti Rex iste ait *3. Macc. 5, 14.*) quomodo etiam diutiùs eosdem
 retardaverint; (ut iste *Judic. 19, 5. 9.*) id, cum communis doceat hu-
 manitatis ratio, non faciet nobis moras.

Architri-
 clinus.

VIII. Affinis Convivatori persona erat *Architriclinus*; qui læticiis
 quæ tres circa quamlibet mensam, (unde vox est *triclinium*) & reliquis
 ad convivium nuptiale necessariis, qualia sunt, cibus, potus, rectè ador-
 nandis & distribuendis præerat; uti dicit *Tarnovius* ad *Job. 2. 8* (hîc n.
 & fortasse non ampliùs, reperies istam vocem.) Notatq; *Alcuinus*
 (citante *Chem. in harm. b. l.*) semper aliquem ex sacerdotibus præfe-
 ctum fuisse huic officio, qui curaret, ne hilaritas nuptialis degenera-
 ret in beluinam ebrietatem. Num verò *Architriclinus* hic idem sit,
 quod *symposiarcha*, modimperator aut arbiter in conviviiis genti-
 lium, (de quo posteriore *Lips. l. 3. ant. lect. p. 149. Rosin. l. 5. ant. c. 30.*
 aliq;) videbimus in congressu. Nobis sanè cum *Bezâ* id non videtur.
conf. Casaub. ex. 13. c. 19.

Coqvi.

IX. Vidimus hucusq; convivii autorem Herum; opus nunc di-
 spi-

spicere de COQVIS, idem parantibus. *Hac verò officia* (ait *Schick* de
 jur. reg. p. 68.) olim erant cura masculina, quando Pharaonis pistor suspē-
 sus esse legitur, *Gen. 40, 22.* postea eum viri virilius agere b. e. studiis mi-
 litaribus se dedere cœpissent, ad fœminas devoluta sunt: sicut dicitur 1.
Sam. 8, 13. filias vestras accipiet in coqvas & panificas. Sic Abraham
 puero committit maclandum parandumq; vitulum, *Gen. 18, 7.* (sicut
 & hodierni quoque Judæi ferè singuli informantur in hoc maclandi
 opere, testibus *D. Hesso* converso Judæo in *flag. Jud. l. 2. c. 11.* *Buxt. syn.*
c. 27. & *Ant. Margaritba* Profess. *Lips. Judæoq; converso in fide Jud.*
edit. Lips. anno 1544.) ita Jacob parat pulmentum *Gen. 25, 29.* atque
 Esau ferinam, *cap. 27, 4. 31.* Sic apud Persas quoque virorum fuisse hoc
 opus, patet & 277. illis cocis Darii, & 29. mediastinis, ollas perfri-
 cantibus ex abstergentibus quorum meminit *Brisson* in *Perf* p. 67.
 Huc trahes fortè servum illum rure redeuntem, cui herus dicit:
para quod cœnem; Luc. 17, 8. sic *Elisa* mandat famulo, ut parat pulmen-
 tum, *2. Reg. 4, 38.* qui ipsemet antehac maclaverat coxeratq; *1. Reg. 19,*
21. ut & *Gideon Jud. 6, 19.* Mulieres tamen ab hoc opere non penitus
 exclusas fuisse, patet non solum ex citatō *1. Sam. 8, 13.* locō; sed & ex
Sarâ Gen. 18, 6. ex *Thamar, fratri parante pulmentum; 2. Sam. 13, 5.*
 itemq; ex *Marthâ curiosâ, Luc. 10, 40.* & *Petri socru ministrante, Matt.*
8, 15. (nisi hæc posteriora trahere malis ad ministeria mensalia, distin-
 cta à culinaribus; quomodo vox *διακονεῖν* aperte sumitur *Luc. 17, 8.* &
22, 27.) Hoc interim noto, coctionem panis, (quæ denotatur verbō
 פֶּן) plerumque tribui mulieribus: *Saræ* quidem, l. c. sagæ à *Saule*
 consultæ *1. Sam. 28, 24.* decem mulieribus in furnō uno coquentibus
Lev. 26, 26. fœminæ, fermentum in tria sata farinæ abscondenti, *Matt.*
13, 33. adeoq; alia ipsis fors, quàm mulieribus olim Romanis, quibus,
 dicente *Plutarcho* in *probl.* neq; pinsereneq; coquere licuit. Attamen
 pistoros viros interea non planè excludo; horum enim meminit *Oseas*
c. 7, 4, imò integra ipsis platea assignatur, *Jer. 37, 21.* Sicut verò פֶּן
 semper notat coctionem panis, ita אֵשׁ est assare aliquid igni, op-
 poniturq; verbo, אֶשׁוּב quod est in aquâ coquere aut elixare, *Exod. 12,*
9. consule, si vacat, *Concordantias.* De diversis instrumentis culinariis,
 ollis, tam æneis quàm figulinis, lebetibus &c. vide *Lev. 6, 28.* *1. Sam. 2,*
13. *Num. 11, 8.* &c. deq; hodiernis Judæis, vasa diversa pro carne, cibusq;
 è lacte conficiendis habentibus, lac & carnem eodem tempore super
 focō

focò sibi è regione opposita non coquentibus , &c. Consule *Buxt. syn. c. 26.*

Ministri.

X. Hisce coqv̄is subjungemus jam MINISTROS reliqv̄os, mensæ subservientes. Heros verò quandoq; ipsos hoc officii exhibuisse convivis honoratis, meminimus jam supra ad mentionem Abrahæ, *Gen. 18, 8.* Huc, quod B. Virgo negotiosa est in nuptiis Cananæis, *Job. 2, 3.* itemq; Martha, *Luc. 10, 42.* Post hos seqvuntur alii, digniores infimis, uti sunt Pharaonis pincerna, *Gen. 40.* Nehemias Artasastæ, *Neb. 2, 1.* (de quorū munere decentissimè fundendi vinū. phialam tribus summis digitis offerendi, &c. *Briß. in Pers. p. 66.* nobiles illi pueri, *Dan. 1, 4.* septem, Eunuchi, *Esth. 1, 10.* δ. ἀκρονοί in nuptiis Cananæis, vinum haurientes, *Job. 2, 5.* (fortè qui similes erant iis, quos hodiè dicimus *Auffwärter*) discipuli dapiferi, *Matth. 14, 19.* iidemq; obsonantes, *Job. 4, 8.* Reliqua viliora officia, ut sunt mundare pocula, parare sedilia, invitare hospites, manibus aquam affundere, &c. obibant *פועלים* pueri tam ratione ætatis quàm servitii sic dicti; (uti & nobis Germanis *ein Jung & juvenem & servum* notat;) qui adstabant præcincti, *Luc. 17, 8.* quippe quos aliàs proluxæ fluctuantesq; Orientalium vestes poterant impedire; ferè ut apud nos fœminæ lotrices laborantesve, tunicas solent succingere. Sic *Juven. puer altè cinctus acernam Gausape purpureo mensam perterfit, &c.* Talium meminit quoq; *Philo de vitâ contem.* quod præstò fuerint *formosa mancipia, non tam ad præsens ministerium quæsita, quàm ad exhiberandos aspectu convivarum oculos.* Ex quibus minores pueri pincernas agunt, grandiores aquam afferunt, loti & nitidi fucatiq; ac cincinnati, &c. tenuissimas candidasq; præcincti tunicas, anteriori parte ad genua demissas, posteriore ad poplites, utring; mollibus taniis adstricti commissuras tunicae, propendentibus ad latera sinibus, &c. Hoc addo, puellas quoq; ad ministerium ejusmodi fuisse apud gentes adhibitæ, præsertim nefandæ libidinis causâ; quomodo de Tyrrenis ex *Timæo* refert *Athen. l. 4.* nudas iisdem discumbentibus servas ministrâsse; & simile quid de Tiberio refert *Svetonius*, (Vide etiam *Demst. ad Ros. ant. p. 832.*) Verùm an hoc fœminarum ministerium in populo Dei receptum fuerit dubito, nisi velis eò referre puellam, Davidi seniori subservientem. *1. Reg. 1, 2.*

Convivæ.

XI. Tandem devenimus etiam ad CONVIVAS ipsos; qui partim con-

convictores quotidiani ac domestici, partim invitati. Hi verò ut jam meminimus θ . 2. lavabantur pedes manusq; imò nonnunquam totum corpus, antequam accumberent. Omitto filiam Pharaonis; *Exod. 2, 5.* Bathfaba sanè, lavans circa vesperam, morem hunc videtur probare: *2. Sam. 11, 2.* ut & Susanna; *Dan. 13, 15.* non tamen pro certò vendito. De unguentis itidem jam vidimus, θ . 3. Coronas verò quod attinet, quæ aliàs in epulis gentilium satis frequentes. teste *Lipfio l. 3. Ant. lect. p. 157.* *Cæl. Rhod. l. 27. ant. lect. c. 26.* *Stuk. l. 3. c. 16. & c.* idq; tum ob humorum ex nimio potu ascendentium repressioem, cum aliàs fasciis saltem vincire solerent tempora; tum ob calefacti cranii refrigerium; has inquam fertas (uti *Lipfio* vox hæc probatur l. c.) non videtur receptas fuisse in Ebræorum conviviiis, nisi postquam Græcorum fortè moribus summò cum suo damnò essent assveti. Hæc haurio ex *2. Macc. 6, 7.* ubi dicitur, Judæos hederâ redimitos Bacchanalia celebrasse, eosq; qui in hos Græcorum ritus ac mores transire abnuebant, esse interfectos, *v. 9.* Huc ergò referimus istas quoq; epulonum acclamationes, *Sap. 2, 8.* (hunc namq; librum Salomoni vindicare ac pro tam antiquò habere, nondum persuasum est Orthodoxis: *vinò pretiosò unguentisq; repleamus nos, baccis rosarum, priusquam marcescant, coronemur.* (Rosas volunt, quippe quæ, teste *Athenæo*, aliquantulum refrigerandi, capitisq; dolores mitigandi vim obtinent.) *Conf. Judith. 3, 9.* *3. Mac. 7, 15.* Quapropter & hic gentilis ritus minùs probatur *Tertuliano, de coron. mil. & Minut. Fel. apol. adv. Cecil.*

XII. Minùs adhuc certa est vestis cœnatoriæ probatio, extructa à *Baroniò* ann. ad an. 34. num. 39. ex *Job, 13, 4.* & *Mattb. 22, 12.* cujus infirmum robur, cum satis monstrârit *Casaub. ex. 16. c. 25.* & *Gerb. b. m. cont. bar. p. 2. p. 135 2.* nos hîc non moramur. Vestem externam sive togam à discumbente Christo retentam esse, ferè ut nos retinemus pallia in nuptiis, tutò colligitur ex *Job. 13. 4.* eademq; cum aliàs obfluxam suam capacitatem adstringeretur cingulò, relaxata tunc procul dubio fuit; quid n. aliàs opus fuisset peculiari præceptò, de cincturâ lumborum in esu paschalis agni, si hæc accinctio aliàs usitata? (*Exod. 12, 11.*) Quod si tamen de speciosis convivantium vestibus aliquid addendum est, non malè accommodabitur huc istud *Cobel. 9, 8.* (*omni tempore sint vestimenta tua candida;*) scil. opposita pullis istis lugentium,

Coronæ.

Vestes cœnatoriæ.



tium, uti hic annotat *Drusius*; & notanter dicit *Lutherus* in comm. ad H. I. pro ritu illius regionis loquitur; Romani & Græci purpuram, Orientales & maximè Judæi, candidam vestem commendant propter lotiones & munditiem, quam illi studiosè colebant; sicut & Turca lineis vestibus pro splendidissimis usitur, & c. quod ipsum quoque firmat *Philo de vitâ contem* Judæos olim dierum festorum convivia λευχειμονεῖας, h. e. albatos s. candidatos agitare fuisse solitos. Inde etiam candidarum vestium hinc inde in *Apocalypsi* fit mentio.

Calcei detracti.

XIII. Calceos porrò inter cœnandum fuisse depositos, præcipuè ut pedes sic lavari poterint, colligit *R. Levi* & cum hoc *Drusius* (in loc. pentat. c. 20) ex *Exo. 12. 11*, (calceamenta vestra in pedibus vestris,) sc. in pascate comedendò, ubi ritus alii ac diversi planè à consuetis. Imò requirebat hoc mundities quoque, ne se. soleis suis impuris confpurcarent lectum; quam rationem suppeditat *Lipsius l. 3. ant. lect. p. 145*. ubi latius probat hanc apud gentes deponendorum calceorum consuetudinem. Non autem vero videtur simile, calceos undiquaque tegentes pedem fuisse usitatos in gente Ebræâ; potius gestarunt soleas, quæ describente *Gellio l. 13. c. 20*. plantarum calces tantum infimè tegebant, (hinc ὑποδήματα Græcis dicta,) cæteris propè nudis, & teretibus habenis junctis. Non verò formam habuerunt crepidarum nostri temporis; quorsum enim corrigiæ, sive ligulæ, aliquoties circummeuntes calceum? (uti *Schindl.* describit $\eta\eta\psi$) quarum fit mentio *Gen. 14. 23. Job. 1, 27. & c.* Sed satis de vestitu.

Numerus Convivarum, Fœminæ.

XIV. De numerò convivarum vulgatum aliàs est illud; eundem non debere excedere numerum Musarum, nec minorem esse Gratiarum numerò; sed triginta convivarum in sacris fit mentio *1. Sam. 9, 22*. Apud Græcos itidem non moris erat, ut in conviviò virorum accumberent mulieres, probante *Demstero*, ad *Ros. ant. l. 5. c. 26*. ut nec apud Persas, sicuti *Josephus l. 11. ant. c. 6*. de *Vasthi* dicit, eam non abisse ad *Ahasverum* τῆ φυλακῆ τῶν παρὰ Πέρσαις νόμων, οἱ τοῖς ἀλλοτριῶσι βλέπεσθαι τὰς γυναῖκας ἀπηγορεύεσθαι; quod ipsum quoque *Lyra* dicit ad *Esth. 1, 12*. Verùm alius hic mos Judæis; (ut & Romanis, ubi cum viris cubantibus, sedentes cœnabant fœminæ, *Valer. l. 2. c. 1*.) de illis enim tradit *Philo*, quod mulieres senes in conviviis festivis unà cum viris fuerint epulatæ; διανεμένῃαι δὲ ἡ κατὰ κλκσις χωρὶς μεν

μεν ἀνδράσιν ἰσὶ δεξιά, χωρὶς δὲ γυναικῶν ἰσὶ ἐνώπιον, h. e. *discubitus* ita distribuitur, ut seorsim viri dextrū latas, seorsim mulieres finistrū teneant. Ita sorores suas semper in conviviiis secū habent filii *Jobi* c. 1, 4. Præterea *aulicorum* cum Rege comedentium peculiarem quisque habebat sedem, ita ut ejusdem mox deprehenderetur absentia; 1. *Sam.* 20, 24. confer etiam 2. *Sam.* 12, 17 aliter ac apud Persas, ubi Rex cœnabat solus, *Briß* pag 71. l. c. Annectere hîc placet illud *Jobi* 42, 11. ubi cognati *Jobi* dicuntur ad eū convenisse, comedisse, & pecudem unam, in auremque auream, quemlibet ipsorum eidem donasse; non sanè studio ditandi, (uti addit hîc *Mercerus*,) sed in signum amicitiae ac congratulationis: De *symbolâ* aliàs conferri soliti, (cujus nos admonet hæc convivarum *Jobi* collatio.) videri potest *Sardus*, de *mor. gent.* l. 1. c. 21. & *Coel Rhod.* l. 27. c. 24. Itemque de modò, moratè capiendi cibum, manum non extendendi incivilliter, (uti monet *Ovid.* *Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi, Ora nec immunda tota perunge manu.*) &c. consulatur *Sirat.* c. 31, 12 seq. & cap 32. cap. 41, 24. *Proverb.* 23, 1. seq. & *Buxt syn.* c. 7. p. 205. (ubi non spernenda videbis, de modestiâ, ceu in conspectu Dei &c.) De hodiernis verò *Judæis*, quorum quivis duos secum gestat cultros; unum pro carnibus, alterum pro caseo & piscibus &c. vide eandem *Buxt. syn.* c. 26. Sed satis de Personis convivantibus: nunc etiam ad

II. DE REBUS, sive CIBO POTUQUE.

XV. Primum cibi genus, cujus facer Codex meminit, sunt *herbae* ferentes semen, fructusque arborum; *Gen.* 1, 29 c. 2, 16. c. 3, 18. Ex quibus locis *Lutherus* (in comm. ad eadem) *Chemnit.* p. 4. *Exa.* c. 1. f. m. 99. *Lyra*, *Tostatus* aliique colligunt, carnis esum ante diluvium licitum non fuisse, præsertim cum de hoc demum agatur *Gen.* 9. 3. h. m. *omne reptile, quod quidem vivum est, vobis erit in escam*; hoc verbum (dicente *Lutherò*) affigit *veribus lepores, gallinas, anseres, & omni genere ferculorum replet mensas.* (Vide, si lubet. *D. Brochm.* t. 1. *LL.* pag. 293.) Hi igitur fructus arborum herbarumque, ut & ipsa *olea*, comedebantur vel ita cruda, vel aqua ignique apparatus. De pomis, piris, aliisque similibus ab arbore statim comestis, non credo ullum dubitare. Ita *Christus* ipse esuriens, quærit ex ficu fructus,

Fructus
 arborum
 herbarumque.

Marc. 11, 13. Nonnunquam tamen hæ ipsæ ficus, simul collectæ com-
 pressæque, in massam unam redigebantur, dictæ רבלה, uti *R. Kim-*
chi in l. rad. hanc vocem exponit: ut & *R. Sal. Jarchi* ad *1. Sam. 25, 18.*
 qui sic ait: Debhela sunt *the enim derusoth uchebbusoth bakkeli*: hoc
 est *sunt ficus calcata & subacta in vase.* Hinc *1. Sam. 30, 11.* dicitur, frag-
 men ejusmodi massæ porrectum esse defagitato. Eodem modo *uva*
 quoque comestæ sunt, partim succulentæ adhuc, partim arefactæ; at-
 que hæ dicebantur צמוקים quam vocem *Targum* exponit נתבלין
 רענבין יבישין hoc est botros sive baccas uvarum siccatarum;
 talium passularum ligaturas centum Abigail offert Davidi, *1. Sam.*
25, 18. ut & Ziba, *2. Sam 16, 1.* earumque binas comedere poterat unâ
 vice lassatus ille *1. Sam. 30, 12.* (ne fortasse nimiam concipias earum
 quantitatem) Quod si enormem botri magnitudinem descriptam vi-
 dere gestis, consule *Jörsteri Lex. in (אשכר)* Eodem modo alii quo-
 que fructus arefacti Ebræis olim in usu, uti apud nos jam pira, po-
 ma, cerasa, pruna &c. sic enim *R. Kimchi* exponit vocem קיצ *2. Sam.*
16, 1. quod בכללן hoc est generaliter designet fructus æstivos arefa-
 ctos, (פירות היבשים) cui consentit *R. Levi Ben Gerson* ibid. (*Targum*
 verò & *Lekab Tob*, quod est Lexicon ebræo germ. juxta seriem lib-
 ror. biblicorum, exponunt in specie: gedürte Feigen.) Huc referi-
 mus fabas, lentes, pisa, orizam, & id genus alia; quæ generali titulo
 vocabantur מון uti hanc vocem exponit *Aben Esra Gen. 45, 23.* Sic
 igitur Barfillai afferebat Davidi lentes & פור quod *Lekab tob* red-
 dit: Erbets oder Bonen/ita & Lutherus, Bonen/ *2. Sam. 17, 28.* Porro
 talium quoque fit mentio *Ezech. 4, 9.* ubi Propheta jubetur sumere
hordeum, triticum, fabas, lentes, milium, & viciam; (Luth. Hirß vnd
 Spelte: *Lekach tobh Hirß vnd Dinkel*) atq; ex iis sibi panem facere,
 quia sc. in obsidione ex omni frumento ac leguminibus panis parari
 solet; annotante hîc *Marianâ.* Eodem pertinent & ptisana, vel ut Lu-
 therus reddit Grûß/ *2. Sam. 17, 19.* quam vocem הרפות *Rabbenu Je-*
schajah, Kimchi & Rasche exponunt de tritico contuso; quod deinde
 solent explicare, ut exsicceetur, addente *R. Levi*: generalius verò reddit

PA-

Pagvinus per grana contusa. Huc polenta, ^{17p} dicta, cujus significationem vide in *Pagn. Lexicō*. Huc etiam porrum, quod quovis die Jovis à viris mandi præcepit Ezras in captivitate Babylonicâ, (si credere fas est) referente *Buxt. syn. Jud. p. 228.* quæ res non caret mysteriô; quippe porrum repræsentat ipsorum inimicos; hinc ubi manderunt istud adjiciunt: *lichretu seneenu*, hoc est, excindantur ofores nostri; referente eodem *Buxt. cap. 19. pag. 395.* Tale secretum delitescit quoque in lentibus, quas comedere tantum solent circa tempora luctuosa, quod huc describam ex *Zenorena*, (qui est Pentateuchus Judæorum ebræo-germanus, nimium quantum fabulosus:) Ita verò dicitur ibidem *Gen. 25, 29.* quod Jacob propterea paraverit è lentibus pulmentum, quia eodem die mortuus erat Abraham: & porrò, vnd darumb kocht man Linsen / wenn einer stirbt / gleich als ein Lins / die ist künftigt: also ist auch der Todt / gehet herum / vnd welgeret sich von einem Menschen zum andern Menschen. Nonne satis acutè? Alia adhuc ejus farinae videbis de his apud *Buxt. p. 456. l. c.*

XVI. Hæc de fructibus, nunc etiam de *oleribus*. Illa verò in luctu cruda comedit Esras inter flores agri desiderans, *3. Esra; 9, 24. 26 cap. 12, 51.* & Judas Maccabæus in deserto, *2. Macc. 5, 27.* quorsum etiam spectat lactuæ comestio, à quâ apud Romanos initium sumsit cœna. teste *Lipio, l. 3. ant. lect p 143.* ut quæ cibi faceret appetentiam; & c. vide *Clar. Dilb. dial. 2 p. 115.* Simile quid de Judæis profert *Buxt. syn. c. 13. pag. 329.* Quandoque verò in ollam conscindebantur olera, ut inde fieret pulmentum, quale nos fortasse vocamus *Grünkraut*; *2. Reg. 4, 39.* ubi tamen per collectoris ignorantiam deprehensæ fuerant *colocynthides*, de quibus videre poteris *Valles. philos. sacr. c. 36.* Ejusmodi convivii terrestres, quod opponitur escæ bovis saginati, meminit quoque *Salomo, Prov. 15, 17.* & *Paulus* ait, eum qui minùs in fide adhuc firmatus est, vesci oleribus, *Rom. 14, 2.* quod faciebat quoque *Daniel* cum sociis, qui quò minùs carne vetitâ aliisve cibis, qui ex mensâ Regis residui dabantur ejusmodi nobilibus, (teste *Briß. in Pers. p. 229.*) polluerentur, vesci volebant leguminibus, *Dan. 1, 12.*

XVII. Post simplicissimam hanc Antiquitatis frugalitatem proximè subjiciendus *panis*, ut qui eadem cum præcedentibus, matre terrâ gaudet, Non verò prolixi erimus in enarrandis triturationum variis

Olera.

Panis.

riis generibus, quæalia reperies in Fulleri *misc. l. 6 cap. 12.* Zehneri *adag. sac. pag. 245 seq.* nec in ratione comminuendi frumenta seu molendi, quod mulierum fuisse, patet ex *Exo 11 5. Esa. 47. 2. Matth. 24, 41.* cum portatiles scil. adessent molæ, verbi gratia in deserto, *Num. 11, 8.* (confer etiam *Deut. 24, 6.*) nec desudabimus in modò coqvendi sive pin- sendi, cuius jam aliqua præcessit mentio, *θ. 9.* quomodo item differat clibanus à furnò, (quod docet *Drus. ad pentat. c. 33. & Scult. exer. ev. l. 2 c. 36.*) &c. Hoc tamen adscribo ex *D Paul Tarn. com. in Job. 6. p. 503.* frumentigenus in terrâ Canaan, panibus coqvendis aptum fuisse du- plex; triticum & hordeum, *Deut. 8, 8. 2. Sam. 17, 28. Joel. 1, 11.* ex hoc pa- rabatur cibarius & secundarius pro vulgò & pauperibus; ex illo prima- rius & similagineus, pro ditioribus & primatibus. Panis hordeacei fit mentio *2. Reg. 4 42. Job. 6, 9.* triticei v. sive similaginei, ebraicè *סלת* dicti, hinc inde in Levitico ad sacras oblationes; itemque *Ezech. 16, 13. 19.* ubi ponitur inter nutrimenta puellæ molliter enutritæ. Adjiciam verò hîc locum ejusdem Prophetæ, *c. 4, 12.* (*comedes cibum ut placen- tam hordeaceam, & ad orbes excrementi humani eam parabis:*) cui lucem facere videtur illud, quod vidit *Schveiggerus* (*in itin. l. 3. c. 40.* circa Damascum; homines scil. ob ligni penuriam solere fimum bo- vinum conjicere ad domuum parietes, quò à Sole exsiccato utuntur dein vice ligni, & ad eum incensum coqvunt & panem & alia. Sic quoque fecit *Ezechiel*, uti hîc exponunt *Mariana, Piscator*, alii. Ad- huc aliud ex eòdem *Schveiggero p. 283.* qui circa Joppen usum se esse dicit pane hordeaceò, sub cinere fervente paratò, figura ac cras- sitie orbis lignei, (*rote ein runder Zeller*) qui, dum calet adhuc, boni quidem saporis est, postea verò ingratus nimium fit atque difficilis. Cum hoc verò pane confert illos subcinericios Israelitarum in de- sertò, ut & hordeaceos eos à Christo distributos, *Job. 6, 9.* Hujusmo- di panis, inter prunas coctus, apponitur etiam *Eliæ*, *1. Reg. 19, 6.* Et de hodierno pane Judæorum infermentatò circa pascha parandò, latè a- git *Buxt. syn. c. 12. p. 322. seq.* qui placentas illas plerumq; ait esse *rotun- das, foraminulis plenas, ut aëri undiquaq; obvia non fermentescant; imò & salsedinis & pingvedinis omnis expertes, vulgò è solâ aquâ confectas, adeòq; esui satis ingratas &c.* ex qua figura faciliùs etiam intelliges consuetam eam Ebræis fractionem; quia scil. *Orientalis olim non ha- bebant*

bebant panes, uti nos jam, elevatos, ita ut ad scindendum gladio esse opus; sed pinsebāt latos atq; subtiles instar placentæ, adeoq; facile manu frangebant; uti observat *Stuck. l. 3. ant. conv. c. 3.* Imò non adeò grandes eos fuisse colligitur etiam ex *2. Sam. 16. 1.* ubi par asinorum præter alia onera portat panes ducentos; & unus David, ut & unica uxor Jeroboami, præter alia, portant panes denos, *1. Sam. 17, 17. & 1. Reg. 14, 3.* (De *Mazâ* Persarum vide *Brisf. p. 214.*)

XVIII. Pani congenere sunt *Placentæ*, quarum in sacris etiã oblationibus frequens hinc inde mentio; quod sc. infermentatæ fuerint, mistæ oleo, &c. *Exod. 29, 2. Lev. 8, 26. & 1. Reg. 17, 12.* Tale quid Ammoni parat quoq; soror in sartagine, *2. Sam. 13, 6 8.* & uxor Jeroboami offert donarii loco prophetæ. *1. Reg. 14, 3.* (ubi vocẽ *nikkudira* *Lekach* tob reddit; *ivterbacken*, meliùs verò piscator, *Stopffuchen*: ut quæ punctulis ita quasi insignitæ sunt à R. *nakad.*) De hodiernis v. Judæorum placentis, triplicibus quidem in festo paschatos, septuplici verò pentecostali in sese implicitâ, septẽq; celos designante, consule *Buxt. syn. c. 13. & 15. p. 327. 354.* Et si quærat, unde apud nos Christianos ortum traxerit illa consuetudo, placentis honorandi festum paschale ac pentecostes, atq; hoc posterius ornandi etiam betulis ac ramis viridibus; non absimile videtur, Papatum hoc ad se derivasse ex Judaismo, ut & alia quæ plurima. Ita verò Judæos fenestris passim apponere ramos virides tempore pentecostali, placentasq; pinsere in memoriam albæ, puræ, dulcisque legis, testatur *Buxt. p. 354. l. c.*

XIX. Hactenus de terræ nascentibus. Nunc etiam de animatis, & ortum ab iis habentibus, qualia sunt lac, butyrum, casei, mel, ova, &c. De carnis verò speciebus variis, earumq; qualitatibus &c. eleganter scripsit *Petrus Castellanus* in sua *κρωφαγία* s. *de esu carniū*; quem poteris consulere. Non verò curabimus hîc varias eas species immundas, *Lev. 11.* enumeratas, & quæ sunt alia ceremonialia, ad Scholâ potius Theologicâ spectantia. Hoc verò notandum inter cætera, quod *B. Gerhardo p. 1. cont. barm. c. 153. p. m. 1004.* colligit ex *Matt. 22. 4. Gen. 18, 7. 1. Sam. 28, 24. Luc. 15, 23. tauros, hoc est, vitulos vel juvencos, qui castrati quidẽ essent, nondũ tamen traxissent aratra, in delitiis fuisse ap. Jud.* Illos igitur, ut & carnes alias, (quibus in conviviõ deficientibus, nulla adest voluptas, juxta illud Rabb. *En Simcha belo basar:*)

C

leg-

Placentæ.

Caro.

legimus modò coctas, modò affatas fuisse; v. g. *Judic. 6, 19. Exod. 12, 8. Esa. 44, 16, 19. &c.* Ita carnes hœdulorum de capris tam concinnè paravit Rebecca, ut ferinæ saporem mentirentur, *Gen. 27, 4. seq.* De suilla verò carne, cur præ cæteris tam exosa sit Judæis, vide *Scult. exer. ev. l. 2 pag. 129.* quæ tamen in castris iisdem fit licita, teste *Schik. de jure reg. pag. 149.* & quomodo sues alere potuerint Gadareni, docebit *Cassaub. ex 12. cap. 34.* Quomodo verò hodiè circa carnem versentur Judæi, quàm studiosè eandem separent à piscibus, ut & lacte, ita ut inter utriusque esum lotio oris manuumque, ut & dentium accurata à carnibus purgatio intercedat, quomodo etiam quovis sabbatho comedant tuceta, (*Pasteren/*) in recordationem mannae, quæ pruinâ tam infra quàm supra involuta quasi; & quæ sunt hujus generis secreta plura, consule sæpiùs laudatam *Buxtorfii synagogam, pag. 209. 464. 257.* ut & *Ant. Margaritæ fid. Jud. lit. c. 3.*

Aves.

XX. *Aves* porrò fuisse inter Ebræorum cibos, non est qui dubitet. Hinc edunt coturnices, *Schelar* quæ vox notat genus avium pingvissimum, & juxta Ebræos comprehendebat coturnices, perdices, attagenes & phasianos; uti notat *Schindl. in Lex.* Sic *Zenorena* quoque reddit hanc vocem *Exod. 10, 13.* gar vtel gute *Vögel*: Lutherus a. & *Leckab tob.* reddunt *Wachteln*: Autor *l. Sapient. c. 16, 2. c. 19, 11. 12.* utitur voce *ὄρνυγομήτρα*. Confer *Num. 11, 31-32. Psal 105, 40.* Inter cibaria Salomonis etiam numerantur *barbyrim*, quod nonnulli exponunt de avibus castratis saginatisque, ut sunt capones. *Targum* verò simpliciter reddit aves: (*1. Reg. 4, 22.*) De avium mactatarum sanguine operiendò pulvere, vide *Lev. 17, 13.*

Pisces.

XXI. De piscibus itidem comestis inter Ebræos, (modò non è speciebus prohibitis,) ambigendum non est. Non enim hac in parte senserunt cum Syris, qui (teste *Sardo l. 1. de morib. gent. c. 20. p. m. 53.*) piscibus abstinent: recordantur enim piscium in Ægypto gratis comestorum, *Num. 11, 8.* sic pisces venduntur, *Nehem. 13, 16. &c.* Imò iidem familiares penè fuerunt nostro Salvatore; qui pisciculos (procul dubio frigidos ad iter comportatos) distribuit, *Matth. 14, 17. cap. 15, 36.* & resuscitatus, comedit partem piscis assi, *Luc. 24, 42.* discipulisque piscantibus curavit piscem prunis imponi &c. *Job. 21, 9.*

Ho

Hodierni verò Judæi, quàm superstitiosè distingvant pisces à carne, jam dictum θ. 19.

XXII. Post animata sequuntur & illa, quæ ex animatis ortum habent, uti sunt *Lac*: quod hospitibus apponit Abraham unà cum butyrò, *Gen. 18, 8.* & Jael Siseræ, *Judic. 4, 19.* quapropter à *Siracide* quoque *cap. 39, 31.* refertur inter vitæ necessaria. Ex lacte verò agitatò oritur *butyrum*, juxta *Proverb. 30, 33.* quod eòdem modò cum lacte apponunt jam dicti Abraham & Jael, l. cit. *Judic. 5, 25.* & ille quidem (ut hodiè Belgæ aliique) priùs apponit butyrum, quàm alia fercula vel carnem. Butyrum verò & mel plerique ex *Esai. 7, 15. 22.* colligunt fuisse cibum infantum, pani videlicet illita; quomodo & *Plin. l. 28. cap. 19.* ait *infantibus butyrò nihil esse utilius, per se & cum melle; privatim & in dentitione, & ad gingivas, & ad oris ulcera* Cui consentit *Galenus l. 10, de medic. simpl. c. 10.* Ex lacte etiam *Casei*: quorum fit mentio *1. Sam. 17, 18. 2. Sam. 17, 28.* De istis autem hodiernò Judæo non licitum comedere, si carnem vel de carne jus comederit, nisi interposità horâ integrâ: teste *Buxt. syn. c. 26. p. 463.*

XXIII. Ex animatis porrò volantibus sunt *Ova*. Hæc infantibus olim data esse, testatur Christus, *Luc. 11, 12.* Jobus quoque meminit albuminis vitelli, absque sale insipidi, *cap. 6, 6.* Hodiè verò quomodo Judæi ova bulliant, in acumine ipsorum aperiant, iis tostis vescantur in signum tristitiæ, cruda verò apponant sponsæ, ceu sine dolore, facilèque instar Gallinæ parituræ, &c. hæc te docebit *Buxt. p. 463. 464. 456. 481. &c.*

XXIV. Ex apibus deniq; est etiam *Mel*; cujus frequens itidem usus apud Judæos. Hoc muneris loco offertur, *Genes. 43, 11. 1. Reg. 14, 3.* hoc inter delicatos puellæ cibos ponitur, *Ezechiel. 16, 17. 19.* hoc ita, ut reperit, comedit Simson; *Judic. 14, 9.* & Jonathan, *1. Sam. 14, 27.* ne tamen isto nimis oppleatur stomachus, hortatur Salomon, *Proverb. 25, 16. 27.* Imò de favò apiariò comedit jam redivivus *JESUS Luc. 24, 42.* Sed quis referret omnia? à cibus ergò deveniamus tandem

XXV. Ad potum. Communissimus ut & antiquissimus est *aqua*, imò in conviviis etiã adhibita; ut *1. Reg. 13, 19.* de quâ re porrò vide *Drus. l. 12. obs. c. 15. & ad Esth 7, 2.* Hinc quidam, ceu peculiare aliquid addi dicunt in descriptione convivii *Job. 1, 13.* comedebant

& bibebant vinum. Aliàs coena ejusmodi, vinò destituta, dicebatur *Ca-
nina* (de qua & *Lips. l. 3. ant. lect.*) quam ferè cœnabant ii, qui in luctu
versabantur. *Dan. 10, 3.* aut qui studebant temperantiæ; *Dan. 1, 12.*

Vinum.

XXVI. Post aquam succedit *vinum*, quod apud Persas tantum
in apothecis asservabatur, exiguâ quantitate; publici autem usus fa-
ctum à Rege Gamschid, non multò post Noæ tempora, uti meminit
Sebickardus in suo *Tarich, p. 38.* Hujus porrò encomium vide *Psalms.*
104, 15. Sirac. 32, 30. seq. Inventorem plerique putant Noma, ex *Gen.*
9, 21. ita ut eidem primus vini usus ad bibendum à DEO sit ostensus,
cui & carnis ad vescendum: (uti habet *Pelargus* ad h. l.) Hinc eò por-
rò usus est Melchisedeck, *cap. 14, 18.* Lothus *c. 19, 32* aliique. Imò nec
fœminis adeò improbatus ejus usus, aliàs n. gravior fuisset Hannæ
increpatio, *1. Sam. 1, 14.* huc *Judith, 10, 5.* Pari modò nec Regibus planè
vetitū est *Prov. 31, 4.* nam de nimio vini abusu textū loqui, docet con-
textus ac ratio: ne sc. impingant in iudicio, *Esa 28, 8. 7.* In nuptiis ha-
bita quoq; esse vina, quæ pro more ab initio erant præstantiora, substi-
tutis sub finem vilioribus, patet ex *Iob. 1, 10.* Porrò nec Ebræos adeò
immunes fuisse à temulentia vitio, uti fortè de se gloriantur Itali ac
Galli, culpatis (& jure quidè meritò) nobis Germanis; id docet *Esaïas,*
c. 5, 11. 22. quem vide. Imò debacchantes atq; in plateis vociferantes nō
adeò raros ibidem fuisse, patet ex simili, inde sumtò. *Pf. 78, 65.* Apud
Persas aliàs, tanquã peculiare aliquod, notatur, in convivio regio non
adfuisse cogentes ad potum, sed pro libitu quemq; bibisse, *Esth. 1, 8.*
confer *Bris. Pers. p. 215.* Quantum v. vini ad ebrietatem præscribat *R.*
Levi, vide ap. *Drus. ad pent. c. 29.* Quod etiã, pro more calidarum Re-
gionū, vinū sæpius aqvâ diluerint, patet ex *2. Macc. 15, 40.* confer præ-
terea *B. Gerb. t. 5. LL. p. 33.* Quomodo porrò vinū in utribus servarint
coriaceis, pluribus declarat *Scult. l. 2. ex. c. 52* (de *Luc 5, 37.*) sic *Judith*
secum fert vinum *ἐν ἀτκοπὺνῆν, c. 10, 5.* Quomodo v. è phialis istud
potarint, docet *Amos c. 6, 4.* Et hodiè quidè, cum Judæi sibi propinant,
dicere solent *lechajim totchim ad bonam vitã,* teste *Buxt. syn p. 482* ferè
ut Romani olim: *Benè vivas.* (apud *Lips. l. 3. ant. p. 159*)

Sicera.

XXVII. Nec v. prætermittenda est *sicera*, *כַּסְא* dicta, quæ dicen-
te *Hier. ad Nepot.* est *omnis potio, quæ inebriare potest, sive illa, quæ fru-
mentò conficitur, sive pomorum succo aut cum favi coquuntur in dulcē
portionem; aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisq; fru-
gibus*

gibus aqua pingvior coloratur. Huic consentit *Abesra* ad Lev. 10, 9. Sic in l. *Musar*. habetur ficera ex palmis, ex hordeô, &c. citante *Drusio* ad l. *Num*. p. 366. & de ejusmodi vinis factitiis videre poteris *Plin*. l. 14, c. 16. *Scultetus* (l. 1. ex. ev. c. 16.) ficeram habet pro genere potus inebriantis; cujus species, vinû uvarû, & ex fructibus arborum; ut est succus pirorum, pomorum, palmarum: itemq; potus compositus ex melle & aqua, (*Meth*) ex melle & vino, ex aqua & frumentis, hordeô, triticô: quorum nostra & vetus Gallorum cerevisia. Expende jam, si lubet, *Lev*. 10, 9. *Num*. 6, 3. *Deut*. 14, 26. *Esa*. 5, 11. 22. 28. 7. *Luc*. 1, 15. & *cant*. 8, 2. (ubi mentio fit vini aromatici & musti malogranatorum.)

III. DE LOCO.

XXVIII. Locus communis (ut sic dicam in relatione ad mensâ;) **Sub arbore** varius est; quandoq; n. esitatum sub arbore umbriferâ, ut *Gen*. 18, 4. *Jud* 5, 19. quorum phrasîs: cõsistere sub vite & ficu suâ; *Mich*. 4, 4. *1. Macc*. 14, 12. *Zach*. 3, 10. (vide *Flac*. p. 2. Cl. f. 587.) quorum etiâ idololatricæ in montanis umbrosisq; lucis commissationes *Ezech*. 18. &c. Quandoque **in locis sacris.** post sacrificia in locis quoq; sanctis peragebantur epulæ, ubi præsens *Levita* vel *Sacerdos* instituebat offerentes de sacrificii significatione &c. uti docet *Franzius* in *schol. sacrific.* ex *Lev*. 10, 13. c. 24. 9. &c. quomodo & *Samuel* introduxit *Saulem* *lischkâtab* in conclave ejusmodi *1 Sam*. 9, 22. Sic *B. Chem. Charm*. c. 26. eleganter quoq; colligit, domos, in quibus celebrabantur nuptiæ, fuisse publicas, & fortè non procul à *synagogâ*; quem vide.

XXIX. Sed propiùs ad rem. Peculiares in ædibus fuisse locos, cibo capiendis destinatos, qui dicuntur aliàs *cœnacula*, *triclinia*, *ὑπερῶνα*, &c. patet ex multis locis. Erant v. in superiore ædium parte, ita ut scalis eò ascendendum fuerit; quapropter & nomen iis datû *alyab* ab *alab* ascendit, quemadmodû & Græci ab altitudine dixerunt *ὑπερῶνα*, quâ vocè *Syrus* in *N. T.* reddit itidè per *elitbô* ut *Act*. 20, 8. Talis cœnacula spaciosi, ventisq; pervii, & amplis fenestris, (ob caloris æstivi sc. repressionem, uti *Kimchi* addit) mentio fit *Jer*. 22, 13. 14. & *Jud*. 3, 20. 23. seq. (ubi habes etiâ de ejus vestibulo & fera;) superiùs erat contectum, ita ut supra tectum erigi potuerint aræ, *2. Reg*. 23, 12. quamvis & cancelli in eòdem fuerint, ita ut lux tantò meliùs penetrarit; ceu patet ex *Achazia*, per ejusmodi cancellos in cœnaculum decedente *2. Reg*. 1, 2. (ubi vide sis *Kimchium* & *R. Levi*.) In tali cœnaculo aderant mensa,

lectus, sella, candelbarū 2. Reg. 4, 10. Confer etiā Act. 1, 13: 9, 37: 20, 8.
Hic locus aliquando dicitur ἀνώγειον, ut Marc. 14, 15. Luc. 22, 12. de
quo porrò vide B. Gerb. harm. con. 2. c. 169. p. 1250.

Mensa

XXX. Proximè jam ad mensam lectosq. De mensæ a. apud gentes
variis figuris, materiâ, pedibus, &c. consule Stuck. l. 2. ant. con. c. 16. 17.
18 seq. Rosin. l. 5. ant. c. 26. & Demsteri notas ad eund. Lips. l. 3. Ant. lect.
p. 144 seq. Turcarum quidem mensæ, teste Georgieviz. p. 66. de Turc. à
terrâ parumper erant elevatae, aliter tamen mensæ erant apud Ebræos,
ita ut locus sub iis esset canibus, Marc. 7, 28. imò & regibus devotis,
Judic. 1, 7. Et si mensæ profanæ, cum sacrâ templi, fuerunt uniformes,
nostris sanè mensis multò fuerunt humiliores. Nam mensa sacra alta
erat 1. cum dimidiò cubitum, Exod. 25, 23. jam cubitus sacer constabat
6. palmis, h. e. 24. digitis, uti docet Ar. Mont. in antiq. Jud. l. Thubalc. p.

Sella, lecti,
accubitus. 14. 115.

XXXI. Sellas fuisse in usu apud gentem Ebræã, non est qui dubitet.
Hoc tamè controvertitur adhuc, num Judæi antiquiores; antè deletã à
Rom. politiã, iisdè sint usi inter coenandum, uti jam nos. Affirmat hoc
Ciacconus; refellitur tamen à Baron. an. 34. n. 36. & Casaub. ex. 16. c. 22.
Sanè vetustissimos gentium heroes sedentes comedisse, probant Lips.
l. 3. ant. lect. Coel. l. 27. c. 26. aliiq. Sic de Ebræis sentit quoq. Drusius ad Gen.
37, 25. & confirmat porrò ex Gen. 27, 19. Jud. 19, 6. 1. Sam. 20, 18. 25. 34. & 1. Reg.
23, 20. Quibus adjici etiam posset Philonis autoritas apud Casaub. ex. 16. c. 22.
qui expressè à fratribus Josephi accubitus remouet, Gen. 43, 33. Atq. h. m. cum
Drusio facit quoq. Villalpandus, ad Ezech. 23, 41. Verùm ab hinc in diversam
sententiam Casaub. l. c. partim objecta diluens, partim probans, accubitus in
gente DEI viguisse, ex Amos 2, 8. (super vestimenta juxta quod vis altare jattu
discumbunt; ubi Rasche, vox jattu ait, accipienda notione mesibha, accubitus: qvã
omnis accubatio ad epulas fit cū inclinatione; accumbens n. innititur sinistra sua:
cui addit Ezech. 23, 41. Quib9 Cas. probationibus adjici posset Prov. 7, 14. 16. it.
Esth. 1, 6. ubi de mittoth, reclinatoriis aureis; item c. 7, 7. & 1. Sam. 28, 23. ita Amos
6, 4. &c. dicitur accumbentibus in lectis eburneis, qvã extendunt se, vel vestibus qvã
diffuunt super spondis suis, comeduntq. agnos pingves &c. (vid. Tarn. h. l.) sic Ju-
dith super pellib. humi stratis recumbit: c. 12. 15. Nos inter tantos viros arbitri
non erimus, nisi fortè dicatur, accubitus in gente sancta sub Regum imperio
paulatim sumisse initia. Hoc interim certum est, Christi tempore eundem jam
fatis fuisse receptum; uti probant verba ἀνακλίειν (quod est jacere protensò
corpore, ceu infans in præsepi, Luc. 2, 7.) Matth. 14, 19. Luc. 7, 36. ἀνακλιθῆαι
(instar mortuæ puellæ Marc. 5, 40.) Matth. 9, 10. 22, 10. 11: 26, 7. 20: 3. Esd. 4, 10.
ἀνακλίειν, Matth. 15, 35. Luc. 11, 37. &c. Hinc etiam Phariseis in scholis tri-
buitur

buitur affectatio *πρωτοκαθεδρας, πρωτοκλισιας* v. in conviviis, *Marc. 14. 39.* Imò si Christus ita sedisset, ut jam nos, pedibus sub mensa occultatis, quomodo eosdem unxisset mulier? *Luc. 7. 38.* quomodo etiam Johannes ad pectus Christi potuisset recumbere, (nisi delirium pictorum perplaceat,) *Joh. 13. 23. 25.* Quapropter audiamus *Flacium*, qui p. 1. *Cl. f. 1174.* sic describit accubitum: *in sumendo cibo, protensi recumbebant humi, seu in pavimento lectis instrato, ita ut circulum quendam facerent; capitibus quidem semper introrsum ad epulas, pedibus s. extrorsum porrectis. Quare semper sequens in prioris sinu recumbere videbatur, dum caput ejus quasi incumbebat pectori superius accumbentis.* Sic ferè *Lipsius, l. 3. ant. lect. p. 145.* *Accumbebant reclinata superâ parte corporis incubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ ac jacente: capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto, & paulò post: primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur pone dorsum secundi: secundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto; &c. eundem jam vide porrò; ut & Rosinum l. 5. ant. c. 28. p. 804. seq. Stuck. l. 2. ant. con. c. 34.* His jam consonat *Schindl. f. 11, 2. Lex. qui discubitum hunc super latere sinistro dicit appellari hasibbath schmol sic & f. 1190. B. Conf. B. Chemn. har. c. 26. p. 104.* item *Villalpandi comm. in Eze. f. 297.* ubi elegantes hanc in rem reperies picturas. De digniori inter accumbentes loco, (quem extitisse patet ex *1. Sam. 9, 22. Luc. 14, 8. 20, 46. &c.*) si quis ex sacris demonstret, qualis ille fuerit, & ubi, gratiam habebimus.

IV. DE TEMPORE.

XXXII. Non eadem apud gentes observata esse circa sumendos cibos tempora, patet hinc inde ex historiis. Persæ n. in die semel, (*Brisß. Pers. p. 63. & 210.*) Græci ter aut quater, Arabes in tribus diebus tantum bis, calecutienses octies & decies, Sarmatæ tertiò demum die, cibis vacare scribuntur: docente *Sardò l. 1. de ritib. gent. c. 20.* & *Stuckio l. 1. ant. con. c. 11.* præcipuè tamen ad quatuor reduci possent capita ista ciborum sumtio: *jentaculum sc. prandiū, merendâ, cœnam.* (de quibus vide sis *Rosin. l. 5. ant. c. 26. 27.*)

XXXIII. *Jentaculum* v. ap. Ebræos in usu communi fuisse verisimile non est, nisi excipias fortè pueros, item mercenarios ac servos, quibus summò manè dispertiri cibum dicitur materfam. *Prov. 31, 15.* it. laborantes per nocte discipulos piscantes, quibus diluculo Christus paraverat pisces, *Joh. 21, 3. 9. 12.* Aliàs, si fuisset in usu, non tam benè sobrietatem ex matutino tempore probasset Petrus, *Act. 2, 15.* imò non tam cupidus fuisset circa horam sextam *γευσασθαι* (*Canzubeissen*: unde & Ger. *Zumbiß* / quasi *ein- vel An. biß*) *Act. 10, 10.* Hinc ad eò taxantur matutini isti potationum redintegratores, *Esa. 5, 11.* & principes manè comedentes, *Cobel 10, 16.* Interea tamè hodierni Judæi valdè salubre ducunt, edere aliquid prius quàm matutino tempore suum aggrediantur opus; sic n. panis frustulo ac haustulo vini 63. morbos fellis perlanari posse purant, referente *Buxt. syn. c. 6. p. 188.*

XXXIV. *Prandium*, quod populis quibusdè inusitatum, eliminandum hæc non est. Ita namq; ad prandium invitat *Josephus fratres; Gen. 43, 16. 25. &c.*

Jentaculū.

Prandium.

si prandia non fuissent in usu, quomodo dicerentur Judæi jejunasse ad vesperam? *Jud. 20, 26. 2. Sam. 3, 35.* Hinc Targum, illud *Cohel. 10, 16.* (beata terra, cujus principes mane comedunt) sic paraphrazet *Principes tui antequam offerant jure sacrificium matutinum, comedunt panem; & postea v. 17.* (beata terra, cujus principes in tempore comedunt,) sic ait: *postquam obtulissent jure sacrificium, in tempore edebant panem, quatuor horas post labores manuum ipsorum.* Ita prandii destinatum fuisse tempus, patet ex *Frag. Dan. c. 1, 13.* quod ipsum confirmat Josephus in *vita sua*: qui exortam procul dubio, dicit, fuisse seditionem, nisi concionem solvisset sexta hora superveniens, quæ nostros ad prandium vocare solet Sabbatho. Ita hodieq; in *Talmud. de Sabbatho* traditum dicit Buxt. (*syn. c. 6. p. 188.*) ut cum horarum quing, spatium luxit dies, quod circiter hora est undecimam prandium sumatur. (*vid. ib. p. 324.*) In N. T. satis manifesta ἀρίστη & δειπνῶν habetur distinctio, *Luc. 14, 12.* confer *c. 11, 37. & Act. 10, 9. 10.*

Merenda.

Cœna.

XXXV. Merenda (quasi post meridiem edenda, juxta *Isid.*) à quibusdam appellatur *seuda benonith, refectio intermedia*, sc. inter cœnam & prandium. Utrum v. hæc, exceptis pueris ac operariis, magis apud Ebræos, quam apud nos jam recepta fuerit, fortasse non probabitur. Restat igitur Cœna. Ejus hora apud Rom. erat nona, probante *Lib. 1. 3. Ant. lect. p. 144. Stuck. l. 1. ant. conv. c. 11.* Eadem ferè fuit quoq; apud Ebræos; nam hora nona destinata erat jugi sacrificio vespertino, sicuti Joseph *l. 7. bell. Jud.* ait, illud fieri solitum fuisse ἀπὸ ἑννεδάτης ὥρας, h. e. hora nona, vel tertia post meridiem, exacta; quapropter & hæc nona dicitur hora precû, *Act. 3, 1. & 10, 3. 30.* A sacris itaq; redeuntes, cœnæ dein vacabant; cui ferè consonat, *3. Macc. 5, 12.* ubi dicitur, *mediâ horâ decimâ adfuisse invitatos.* De horarum v. distinctione & cum nostris convenientia, videre poteris inter alios *Cœl. l. 12. ant. c. 9. V Valth. harm. Script. l. 1. parag. 77. & offic. bibl. p. 878.* Neq; v. ad hanc horâ adstrictos putamus operarios: nã sic rure demum rediens servus, cœnat, *Luc. 17, 8.* imò circa undecimâ adhuc conducti, laborant unâ horâ *Matt. 20, 9. seq.* Sufficiant hæc exigua, pro exiguitate & ingenii & chartæ, quãvis addi posset de convivorum temporibus aliis, v. g. in natalitiis, *Marc. 6, 21. Ose. 7, 5: 2. Macc. 6, 7.* (vide *Briß. Pers. p. 64. 220.*) in ablationibus, *Gen. 21. & 43.* in nuptiis, *Joh. 2, 1. Jud. 14, 11. 12. Tob. 8, 12: 11, 21. Matt. 22, 3.* in Regum initiationibus, *1. Par. 13, 39: 30, 22.* in fœderibus, *Gen. 26, 30: 31, 54.* in festis ac sabbathis, *Luc. 14, 1. Neh. 8, 10. Tob. 2, 2.* in vindemiis, *Jud. 9, 27.* in tonsurâ gregis, *2. Sam. 13, 23.* in Valedictionibus, *1. Reg. 19, 21.* in funeribus, *2. Sam. 3, 35. Jer. 16, 7. 8. Ezech. 24, 17.* Addi etiã posset de Musica, ludis, saltationibus. Verùm dicta hæc sufficiant. *Laus Ter sancto DEO nostro, à quo omne, quod bonum ac verum, unice est profectum; is defectus omnes porro emendet, atq; ad meliora subinde nos deducat, usq; tandem ad optima; per Jesum. Amen.*

EPIDORPIDES.

1. Prandendumne an cœnandum largius? D. 2. An, more quæ arundã gentium, inter pocula consultandum vel disputandum? N. 3. An certa cibi hora præstet illi, quam esuriens diversimodè præscribit stomachus? A. 4. An neglecta diætâ decurtari possit vita terminus? A. 5. An studia felicius tractentur ab ebriis quam sobriis? N.



AX II. 221

1017



ULB Halle

3

004 353 552







K. 412, 2.

180
 II i
 221

כנה
 Disertatio Philologico-Historica
 De
 Veterum Ebraeorum
RATIONE COENANDI
 & eò spectantibus;

Quam
 Indulgente Inclytâ Facult. Philos. in Alma Li-
 pſiensi, placido examini submittit
M. MARTINUS GEIER, Lips.
 Prof. Lingvæ S. Publ. designatus;
RESPONDENTE
HEINRICO MEYERO Lips. Art & Phil.
 Baccal.

Ad diem 6. Julij, horis locoq; solitis.

Typis bared. FRIDERICI LANCKISCH.
 Anno M. DC. XXXIX.

